

2

DISSERTATIO ACADEMICA  
VATICINIA JESAIÆ IN IDUMÆOS  
(CAPP. XXXIV, XXXV ET LXIII, 1—6) LATINE  
VERSA NOTISQUE EXPLICATA,

SISTENS,

CUJUS PARTEM SECUNDAM,

CONSENSU AMPLISS. FACULT. PHILOS. IN ACAD. AB.

PUBLICÆ CENSURÆ SUBJICIUNT

*Mag. CAROL. JOSEPH. ESTLANDER,*  
*S. Theologiae Candidatus & Docens, ad Biblioth. Acad.*  
*Amanuensis Extra Ordinarius.*

ET

*JOHANNES ANDREAS HOLM,*  
*Stipend. Publ.*  
*Ostrobothnienses.*

In Auditorio Philosophico die VII Junii MDCCCXXVI.  
horis a. m. consuetis.

---

ABOÆ, Typis FRENCKELLIANIS.



v. 3. Disiecti jacent cæsi illorum, Et e cadaveribus adscendit fœtor, sanguine illorum colliquesunt montes.

C

v. 4.

v. 3. חללוּתָם וְשִׁלְבֹּו *disiecta jacent corpora cæsorum eorum*, sc. honore sepulturæ fraudata ac carentia; quæ res apud Hebreos, ut & apud omnes fere antiquos populos summae ducebatur ignominiæ. Quantum enim humari & præser-tim patrio condi sepulcro illis curæ cordique erat, loca Genes. XXIII, 4 *sqq.* XLVI, 4. LXIX, 29 — 31. Jud. VIII, 32. Jes. XIV, 18, 19. XXII, 16. LIII, 9, adfatum probant. Ægyptiis, ut e Diod. Sic. I, 92 notum est, antiquus erat defunctos, antequam funera conficere licuit, judicandi mos, qui, quatenus reges defunctos, ad Hebreos quoque propagatus videtur; cfr. E. F. C. ROSENMÜLLERI *Das Alte und Neue Morgenland*, P. III, p. 269. Ideoque in libris Regum & Chronicorum semper fere de Regibus Hebraeorum notatum reperitur, utrum honor sepulcri patrii iis concessus fuerit, ex. gr. 2 Reg. XIV, 20. XV, 7, 38. XVI, 20. 2 Chr. XVI, 14. XXI, 1. XXV, 28. XXXII, 33. an denegatus, v. c. 2 Chr. XXI, 20. XXIV, 25. XXVIII, 27, quod summo iis reputabatur dedecori. Ignominiosam igitur non minus ac terribilem fore Idumæorum cladem his indicat yates.

מִנְטוּתָם --- בַּאֲשֶׁר --- פְּנִירָהָם --- בַּאֲשֶׁר --- est constrūctio absoluta hoc modo resolvenda: *quod adtinet ad cadavera illorum, adscendit fœtor illorum*, i. e. e cadaveribus illorum adscendit fœtor. Pronomen מְ--- voci שׁנָה adfixum, referri debet ad præc-dens פְּנִירָם.

מִנְטוּתָם haudquaquam ita explicanda, ut si-gnificant: *de montibus manat sanguis illorum*, quamquam etiam סְכָךְ, in Niphal *defluendi vim* interdum obtineat, v. c. Jud. XV, 14. יְרוּיָה אֲפֹרְיוֹ מֵעַל וְיָמָט *vincula illius defluxerunt e manibus ejus*. Multo etenim audacior his verbis inest hyperbola, illa scilicet, id fore, ut tan-

v. 4. Omnia contabescunt sidera cœlestia, cœlum ipsum  
vol-

---

tum sanguinis iratus effunderet Jehova, ut vel durissimi montes, illius humore resoluti & in liquorem mutati, a quarum instar diffuerent. Ad naturam loci apta quoque est imago; montana etenim erat regio Idumæorum.

v. 4. פְּסָמֵד abstrusioris certe ad primigeniam significationem indaginis vox. Nam si Chaldaismum, ubi putridi notio, tum in ipso verbo, tum in derivatis regnat, ut videtur est in Joh. BUXTORFI Lexic. Chald. Talmud. Et Rabbin, spectaveris, atque Jes. III, 24 ubi בְּשָׂם aroma τὸν ὄδορι putido opponitur, in auxilium adhibueris, contabescendi notionem, ab Interpretibus huic verbo vulgo adjectam, satis firmatam, habebis. At si ad Arabismum transieris, primam significationem verbi صَفَرْ in findendo invenies, quæ etiam in Ps. XXXVIII, 6 aptissima est, ubi vocabula נַמְקֵד חַבּוֹרִיתִי insulsius, uti nobis quidem videtur, tumores mei contabescunt, melius putridi, fætidi sunt, sed multo accommodatius, finduntur, l. findunt se, explicantur, cfr. MICHAËLIS Suppl. ad Lexx. Hebr. in voce פְּסָמֵד. Unde autem SYRUS suum ~~أَنْتَ مَوْلَى~~ i. e. liquefunt, quo verbo nostrum נַמְקֵד interpretatur, sumserit, difficile certe est dictu; quod idem de CHALDÆO, suo נַמְקֵד liquefactus est, teste G. GESENIO (in Lex. Hebr.), Hébraicum פְּסָמֵד explicante, quoque valet. An ex ulcerum pustularumque fissione, fœda sanie ex illis ita manante, l. effluente, ut re vera liquefcere dici possint? quare etiam GESENIUS, l. l., citatas Psalmi voces, es fliessen (eitern) meine Beulen, reddidit. Verum enim vero, quamquam prima, quæ fuerit verbi פְּסָמֵד vis, pro certo definiri nequeat, licetque cum GESENIO, qui fliessen, zerfliessen, eandem ac verborum סְמָדָה & סְמָדָה esse illam contenderit,

voluminis instar convolvitur, omnesque ejus exercitus decidunt, ut de vite folium & de fico deciduum.

G. 3

V. 5.

si proprio hæ sumantur significaciones sensu, vix facere audeamus, ex contexta tamen orationis, ubi hoc legitur verbum, serie, indubium fere videtur, illud *tabescendi*, *evanescendi*, *animum despöndendi* (aut ut GESENIUS habet, *verschmachten*, *hinschwinden*, *vergehn*) vi gaudere, quæ etiam hoc loco, ubi corporum cœlestium defectus, aut forsitan interitus prænuntiat vates, aptissima est. — De cætero, Vatis Hebræis, cum civitatum eversiones populorumque interitus præsagiunt, nihil magis solenne est, quam corporum cœlestium defectus laboresque, malorum velut fatorum ingruentium prænuncios, ut præmitant; qui mos gustusve, quantum apud illos valuit, ut innumeræ in Vet. Test. Codice taceam exempla, vel unum ex Apocalypseos, desumitum satis probat libro, ubi *Cap. VI, 13, 14* hæc fere eadem leguntur Jesaiæ verba.

אָבָא הַשְׁמִים dupli sensu in Codice Hebraeo legi; notissimum est. Significat enim haec dictio, tum *ministrorum thronum Iehovae circumdantium* & mandata illius exsequentium cohortem, Jos. V, 14. 1 Reg. XXII, 19. 2 Chron. XVIII, 18. Ps. CIII, 21; quare etiam מלכים, מלכים, Exod. XXXII, 34. XXXIII, 2, 3. Hos. XII, 5. מושרים, Ps. CIII, 21, אלהים, aut אלהים, יהוה, מושרים, Genes. XXXII, 2, 3. Zach. XII, 8, בני אלהים, אלהים, Job. I, 6, nominatur, tum *Solem, lunam omniaque alia corpora caelestia*, Deut. IV, 19. Matth. XXIV, 29. Posteriori autem, quam posuimus loco significationem, heic intelligendam esse, quis est, qui non videat?

*¶ cœli convolvuntur voluminis instar, loquendi est consuetudo, ex ista orta opinione, qua cœlum, non ut firmum quoddam tundendo diductum στρεωμα,*

v. 5. Nam in cœlis inebriatus est gladius meus; En! in Edom,

---

רְקִיעַ, quam cœli formam cum omni antiquitate sibi quoque fixerunt Hebræi, sed ut pannum tenuem, l. cortinam (ך יס. XL, 22), aut aularum (וּרְיעֵת Ps. CIV, 2) super terram expansum sibi cogitabant; unde factum est, ut cœlorum aulae, eodem modo, ac librorum volumina, convolvi posse dicerent.

v. 5. חָרָב de gladio frequentissime dici negandum non est; quum vero strages ipsa, cuius mentionem hic facit vates, sacrificio grandi & innumerarum victimarum magnitudini comparetur, a re alienum non est, de Secespita, aut cultro sacrificio, cogitare. Neque de variis, quibus res se cantur, instrumentis, non usurpatur vocula חָרָב, ut יוס. V, 2, 3, de cultro circumcisorio, & Exod. XX, 22, de celo.

רוּחַ cum ubertim expleri potu, irrigari, aut inebriari semper, ubi legitur, significet, atque vocabula Hebraica cum רְוֹהֶה --- חָרָב --- planissimum fundant sensum: "Nam inebriatus est in cœlis cultor, l. gladius meus," quibus verbis, eo ferocius grassaturum fore in terra Idumæa gladium Jehovah, quum in cœlo, antea quam inde demissus sit, jam inebriatus dicatur, significare voluit Vates, vulgaris lectio רְוֹהֶה nulla emendatione egere nobis videtur. At in textu mutando prævivit CHALDEUS, qui habet צָהָל, i. e. denudatus est, sc. gladius meus, legens, uti nonnullis placet, l. נִפְחָדָה, in Niphal וְרָאָה, sibi consentientem naðus Lowthium, l. c., vertentem: strictus est gladius meus. Longius recesserunt VITRINGA, cui quoque adstipulatur J. A. DATHIUS, in Prophett. majorr. Versione, paratus est, explicans; Reverend. SECKER, a Lowthio citatus, qui quidem רְוֹהֶה intactum relinquens, בְּשָׁמִים legere amat, tandemque J. B. KOPPIUS in R. Lowthii Jesaiæ Germanice translato, pro scribi

Edom, in populum a me devotum ad vindictam  
ruit sumendam.

v. 6.

bendum esse jubens, מִרְאֵת, a mirat acuit, vertensque; geweist ist im Himmel mein Schwerdt. Sed neque auctoritas CHALDAEI, qui etiam sequens verbum חָרֶב suo חַהְגָּלִי παραφεύσεις, tanta est, ut vulgarem lectionem, contra veterum, tum Codicum, tum aliorum Interpretum fidem, mutemus; neque id multum valet argumentum, textum eam ob caussam esse corrigendum, quod gladius Dei in terra Idumæorum, non autem in cœlo, sanguine inebriandus esset. Licet etenim sæpius legatur, gladium Dei crux hostium satiandum fore, v. c. Deuteron. XXXII, 42. Jerem. XLVI, 10, nihil tamen obstat, quominus idem gladius, quo acrius in terra in hostes furere valeat, antea in cœlo ira divina ebrius factus esse dicatur. Neque Arabum auctores eadem loquendi forma delectari non solent: v. c. apud BOHADDIN, in Vita Saladini pag. 127, edit. Schultens, dicitur: liberunt gladii de sanguine illorum, donec inebriati forent; & in Hamasa, pag. 438: qui aquatum ducit hastam, ut sitiens hauriat, quin & secundis eam haustibus rigat. Cfr. E. F. C. ROSENMÜLLERI Scholl. ad Deuteron. XXXII, 42.

רֹעֵר ruere, cum impetu dorsum ferri heic significare; vix dubitandum est, cum de celeri fluminum de montibus lapsu Deuteron. IX, 21, & de grandine tanta vi de cœlo ruente, ut pecudum armenta contundere valeret, Exod. IX, 19, sqq., dicatur.

עם חָרֶב populus devotionis meæ, i. e. populus, quem internectioni devovi. Præcipua atque gravissima hujus sententiæ vis inest in vocabulo חָרֶב quod ita a חָרֶב, etiam votum, Deo factum, significante, differt, ut hoc pecunia soluta redimi posset, illud vero, quale demum cun-

v. 6. Jehovæ est gladius cruento plenus, Adipe, sanguine agnorum hircorumque, adipe renum arietum pingue.

que esset, id Deo traderetur. Homines vero totosque populos Jehovæ בחרם consecratos, internectione esse trucidandos & extirpandos, nemo vel mediocriter in literis moribusque Hebraeorum versatus ignorat. Cfr. *Lev. XXVII, 28, 29. Deuteron. XIII, 12 — 17. Jos. VI, 17 — 21, & JOH. JAHN. Bibl. Archæol. II Th. II B. pag. 498, 517.*

טקט משב heic non est *judicium* seu ipsa *sententia a judge lata*, sed consequens illius, ipsa *poena*, sententiæ vi statuta.

v. 6. הַדְשָׁגָה Hothpahhal cum הַתְּרִשְׁנָה parag., pro הַתְּרִשְׁנָה, a rad. פִּנְגַּע pinguis factus est. Eadem vero imago, ad cædis magnitudinem & crudelitatem augendam, ex ipsius teli sanguinarii ad cædem patrandam adhibiti pinguedine duda, occurrit quoque, 2 Sam. I, 22, ubi de Jonathanis arcu & Sauli ense prædicatur, illos sine cæsorum sanguine & fortium adipe e prælio nunquam frustra retrocessisse.

כרים עתוריים, אילים CHALDAEUS perperam interpretatur, מלכין, רברבין, שלטוני, i. e. *reges, dominatores, principes*. Cum enim similitudinem stragis, genti Idumæorum inferenda, ex ingenti sacrificio, a Jehova ipso parando, duxerit Vates, & plura animalium genera, huic maestui destinata, enumeraverit, vix credere fas est, eundem hac imagine Regis tantummodo, principumque cædem significare voluisse; quin potius major ipse numerus variorum animalium maestandorum heic memoratus, satis superque indicat, omnes omnino Idumææ incolas, tum optimates, tum infimæ plebis homines, sine ullo discrimine fore trucidandos. — In eadem vero hac imagine, qua populorum strages interitusque cum magnis epulis sacrificialibus comparatur, exornanda, præ cæteris Vatis Hebreis eminent Ezechiel, qui, ut in fingendo es

guefactus; Nam mactatus Jehovæ est Bozræ, & in-  
gens immolatio in terra Edom.

v. 7.

audacissimus, ita etiam hanc similitudinem plenissimo per-  
secutus est ore, atque ita, ut, si vel prima suæ fictionis  
initia a Jesaia mutuatus fuerit, magistrum tamen certe  
vicerit. Exstat vero Ezechielis locus *Cap. XXXIX,*  
*17 — 21*, qui cum hoc nostro comparetur, dignissimus.  
Conferri quoque possunt *Jerem. XLVI, 10. L, 27. LI,*  
*40 & Apoc. XIX, 17, 18*, cujus auctor propius Ezechie-  
lem, quam Jesaiam secutus esse videtur.

בָּזַרְעָה, Arab. بَزْرَعَةُ, Græc. Βόστρα, Lat. *Bostra*,  
urbem fuisse Idumæorum, præter hunc locum satis te-  
stantur *Genes. XXXVI, 33. Coll. i Chron. I, 44. Jes.*  
*LXIII, 1. Am. I, 12 & Jerem. XLVIII, 24.* Cum  
vero idem Jeremias in proxime subsequenti, argumenti  
similitudine & ejusdem forsitan temporis ratione arctissime  
connexo oraculo, oppidi, hoc eodem *Bozræ* nomine insi-  
gniti, in terra Moabitica, mentionem fecerit, cumque o-  
rigo hujus nominis a verbo בָּזַרְעָה, quod inter alias signifi-  
cationes *muniendi* vim obtinet, ita comparata reperiatur,  
ut plures urbes ab eodem hoc fonte nomen suum deriva-  
re potuerint, quidam Interpretes ac Geographi duas, licet  
conterminas attamen diversas fuisse urbes hoc nomine in-  
signitas, alteram Edomiticam, alteram Moabiticam, conten-  
derunt. Sed non tanti momenti hæ nobis videntur esse  
rationes ut diversas fuisse has urbes inde statuere audea-  
mus. Cum enim apud vicinas gentes singularium urbium  
possessio sæpe & facile ab una ad alteram transierit, di-  
versas fuisse illas vix ex eo probari potest, quod nunc ad  
hujus, nunc ad illius ditionem pertinuisse dicatur, quæ  
una eademque fuit urbs; (sic ex. gr. *Petra*, caput Idumææ  
antiquum 2 *Reg. XIV, 7.* in numero urbium Moabitica-

v. 7. Adveniunt simul bubali, juvēnique cum tauris.  
Terra sanguine irrigatur, & adipē pingueſcit humus.

v. 8.

rum *Jes. XVI*, 1 refertur). Quemadmodum etiam origo nominis, licet pluribus communis esse potuit urbibus, hac in re nihil probat; cfr. A. CALMET *Bibl. Wörterbuch* s. voce *Bozra*, & G. GESENIUS *Philol. Krit. und Hist. Commentar über den Jesaja Th. II.* p. 912. sq. Ad liquidum certe perducta foret hæc disquisitio, si EUSEBIO fidem habeamus atque HIERONYMO, narrantibus, oppidum בָּזַר asȳlum ab ipso Mose *Deuteron. IV*, 43 & *Jos. XX*, 8, in tribu Ruben, adeoque si non in ipsa Moabitide, saltem in confiniis ejus, septentrionem versus, apertum & a Lxx atque VULG. *Bosor* adpellatum, eandem urbem ac Bozram fuisse. Cfr. J. J. BELLERMANN *Handb. der bibl. Litteratur Th. III.* p. 205; Sed sive una, sive duæ fuerint nomine *Bozra* urbes, בָּזַר & בָּזָרְהָה confudisse videntur laudati ecclesiæ Patres; quare etiam ex illorum traditionibus vix ullum ad sententiam firmandam extorqueri potest argumentum. Sita autem erat (Idumæorum) Bozra in Arabia Petrea, &c, ut tradit Eusebius, *Onomastic.* s. v. Edreæi, 24 Millaria ab urbe Edrei, ac testibus ABUL-FEDA, *Tabula Syriæ* ed. J. B. KOEHLERUS p. 99, coll. additam, a KOEHL. a. v. Moschtarek, atque, I. L. BURCKHARDT, *Reisen in Syrien u. Palæstina, übers. von W. GESENIUS;* pagg. 364 — 378, coll. 597, in Regione Hauran s. *Auranitide* sub  $60^{\circ}$  L. &  $32^{\circ}$ , 15' L. s.; eratque prima ria hujus regionis urbs.

וְבָרֶה & טבָרֶה, non solum de madatu ipso, verum etiam de conviviorum epularumque adparatu dici, e *Genes. XXXI*, 54. *XLIII*, 16. *Ezech. XXXIX*, 17, 18, patet, unde etiam חֲבֵדָה est coquus & طَبَعْ coquere.

v. 7. יְרִדוֹ sc. לְטַבֵּחַ descendunt, i. e. de montium jugis & circumiacentibus pascuis adveniunt, festinant quasi, varia anim.